DISPUTATIONEM PHYSICAM,

Evolventem Qv.

NUM DÆMON CUM SAGIS GENERARE POSSIT,

Numine div. favente

In Celeberrima Leucori,

SUB PRÆSIDIO

DN. M. JOHANNIS WOLFII,

Lobej. Sax.

Præceptoris, Fautoris atq; Amici

ſui honoratiſſimi,

Publicæ συμφιλοσοφούντων *diſqviſitioni*

d. XVI. Decembr. Anno M DC LXXVI.

ſubmittit

JOHANN. PAULUS REINECCIUS,

Hering-Thuringus,

In Auditorio Vet.

Hor. Antemer.

WITTENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI.

I. N. J.



SUmmè admirandum eſt, quod res naturâ ſuâ ad interitum vergentes Deus glorioſus *generationis* beneficio à miſerabili illa liberaverit labe & clade: Quod vivat Homo in Homine, Brutum in Brutô, frutex in frutice, planta in plantâ, *Hoc opus illud eſt quod omnium aliorum Naturæ operum admirationem longè ſuperat & Intelligentiam illam non errantem vel digitô monſtrat & oſtendit*, efferimus Verbis B. Sperlingii Phyſici ſuô tempore ſagac. *Inſtit. Phyſ. Libr. 6. C. 6. de Generat. & Corrupt. ad Præc. in gen. p. 897.* Sed magis adhuc admirandum, imò longè ſupra admirationem eſt poſitum, quod Dæmon Simia Dei & infeliciſſimus divinorum operum Imitator, dixerim, Contrectator, conſpurcator, non erubeſcat, ea quæ Deus in Natura primô voluit poſita locô, hoſtiliter adgredi &, ultra beſtiales, pedibus conculcare ſpurciſſimis, horrendis. Reſervavit ſibi Naturæ Autor in & cum eâ Generationis opus ſolus exercere. Sed quo non trahit aſtutia Diabolum? Præſto eſt, &, ſi generationem non peſſundare penitus poteſt, vel conſpurcatam ſaltem dat, vel elumbem atq; ignobilem reddit, jactitans, ſe cum ſuis (quod ſuperbus ille Spiritus Sagis potiſſimum perſvadet) reſpectu generationis, idem poſſe quod Deus cum Naturâ. *Sed quis Phyſicorum hæc toleraret Verba Thraſonica è Stygio flumine eructata? quis non apertos ipſius luſus & fallacia aperiret Phantaſmata? Eſto proinde agemus breviter & pro ingenii modulô de Quæſtione iſtâ: Num Dæmon cum Sagis verè generare poſſit?* Veræ Generationis promus Condus & unicus Conſervator, Deus, gratioſam nobis præſtet adſiſtentiam!

SECT. I. Exhibens Aut. OPIN.

1. EXiſtimant nonnulli Dæmonem verè cum Sagis non tantùm congredi; ſed etiam ob ſurreptum aliunde ſemen verè cum iis generare non ſecus ac ſi Vir cum Muliere congreſſum habuiſſet. *Paulus ſcilicet Ghirlandus de Sortileg. qv. 7. n. 12. Bodin. Dæmonom. l. 2. C. 7. Martinus Delrio Diſqviſ. Mag. l. 2. qv. 15.*

2. Alii concludunt ab Effectu ad Cauſam ita Inferentes; ſi datur Effectus cum Sagis Dæmoniacus, dabitur procul dubio etiã

non tantùm congressus sed etiam generatio dæmoniaca, confundentes cum Congressu generationem. *Id non tantùm faciunt jam modò citati Autores sed cum iis omnes illi qui Partus monstrosos è Congressu Satanico cum Sagis productos, similes vermibus bufonibus, serpentibus qvos* Elben/ *l.* böse Dinger *vocant, veros partus esse provenientes à verâ generatione inter Sagas & Dæmonem intercedente.*

3. Alii etsi verum semen in & ex suâ naturâ Dæmonem non habere admittant; Refugiunt tamen ad illud in Corpore adsumto, cumque id vel defuncti Corpus, vel conflatum ex aëre & aliis vaporibus esse possit. Dicunt qua prius posse ex substantia adsumti cadaveris semen relictum exsugere, *qvæ sententia est Petri Paludani & Martini Arelatensis citante Nic Remigio Dæmonolatr. L. 1. C. 6. p. 24.* Qva posterius verò posse vel succubum agere, & semen à Viro Incubô communicatum recipere, vel illud oppositis multis speciebus phantasticis, à Viro prolicere prolicitumq; fœcundum retinere idque prolificum in alvum sive locum fœmineum, eô tempore, quô scit eam ad concipiendum esse aptissimam, inferre & sic generare, utut non per Semen tanquam quandam Dæmonis partem, tamen per semen aliunde surreptum. *Hinc nonnulli istiusmodi generationis Causam Dæmonem non tam faciunt causam principalem qvàm Instrumentalem, vel rectiùs non tàm causam physicam qvàm Moralem. Autores pro hâc sententia non citabo omnes, sufficiat unicus Roder. de Arriag. Disp. 1. de Generat. Sect. 4. n. 41. p. 369. & n 48 p. 370.* Ubi admittit illos esse eorum filios à quibus semen, à Diabolo susceptum, est decisum.

4. Alii verò (ut tempus citandis sententiis non nimium absumam) veram generationem Dæmoni cum Sagis factam planè denegant. In Hac vero sententia scinduntur in duas partes (a) *Alii ita inficiantur Generationem Dæmonis, ut etiam nullum ipsius cum Sagis congressum autument Conf. potiss l. c. Remig. & plures alios.* (b) *Reliqvi verò admittendò verum (licet non rarò etiam detur phantasticus) Dæmoni congressum, negant tamen veram ab ipso causatam generationem, è qvibus est August. L. 15. de Civ D C. 15. Damasc. L. 2 de fide C 3. B. Lutherus ad C 6. Genes. & in Sermonibus Mens. Tit de Diabolo ejusq; operibus, cujus verba sufficiat jam citasse qvando inqvit;* Wie werden aber die Kinder gezeuget; darauff sage ich

also/

also/ daß diese Söhne sind auch Teuffel gewesen/ haben solche Leiber gehabt wie die Mutter. Es ist warlich ein greulich/ schrecklich Exempel/ daß der Satan die Leute so kan plagen/ daß er auch Kinder zeuget. Also ists auch mit dem Teuffel in Wasser/ der die Menschen zu ihm hinein zeucht/ als Jungfrauen und Mägde/ mit solchen er darnach zuhält/ und Teuffels-Kinder zeugt/ 2c. paulò post dicit GOtt gebraucht der Menschen zur Schöpffung als ein Mittel/ und durch dieselbe wircket Er allein/ und nicht durch den Teuffel/ darum so müssens gestohlene Kinder seyn/ wie denn der Teuffel wol Kinder stehlen kan/ wie man bißweilen Kinder in 6. Wochen verleuret/ oder müssen Suppositi seyn/ Wechsel-Kinder/ die denn die Sachsen Kiel-Kröpffe nennen/ 2c. *Conf. etiam pro hâc sententiâ B. Carpzov. in Pr. Cr. P 1. qv 49. num. 39. & qv. 50. n. 66 B Sperlingium & cum eô Saniores alios, qvorum sententiâ & nos moti firmis rationibus, insistimus.*

SECTIO II exhibens Term. EXPOSIT.

1. EX ipso quæsito & præmissâ Autorum opinione quilibet haut difficulter colligit *nos non de Dæmone agere, prout spiritualis ipsius natura corpori adsumto excl. opponitur; Sed prout Corpus adsumtum simul includit, estq; ipsius Actus externus sive Forma adsistens habens se ad id, ratione unionis, ut movens ad rem mobilem.* Neq; enim de priori ullâ inter diversos Autores orta est quæstio, nec dubium ortum nec motæ lites. De posteriori vero multos maxima occuparunt dubia, queis ut obviam aliquantulum eamus, præsentem tractationem instituimus.

2. Hic verò triplex statim non planè exterminanda Quæstio, *tùm, An adsumat Dæmon, tùm qvale, tùm qvomodo idē adsumere possit.* Pro prioris sententiâ affirmativâ id satis Argumenti esse existimo, *qvod Dæmones homines agitantes* (sive in Corpore humano sivè Beluino, quod & humanum non rarò fingere potest Dæmon ut Experientia constat, sub corpore picæ ipsum se exhibuisse, dulcem Amasium formosissimo Juvini haut absimilem, nobis eodem res redit) *apparuerint in Corporibus, aliàs nec palpari nec tangi potuissent;* Jam verò Dæmoni non per essentiam, cùm sit Spiritus, Corpus competit. E. per adsumtionis gratiam, quicquid alii hîc fortè in contrarium afferant. Media verò quæstio paulò videtur esse difficilior ob diversarum sententiarum multitudinem Interim tamen remotivè dici-

 mus,

mus quod Dæmon non adsumat (a) *Corpus ex materiâ & formâ cœlesti ab ipso fabricatum & creatum*, impossibile plane Diabolum fieri creatorem, quod nonnisi infinito adscribi potest Deo, contra Isidorum & Bedam. (b) *Corpus ex materiâ novâ, qvanqvam de cætero ejusdem cum materiâ Corporum humanorum sit naturæ, productum*, quam sententiam Isidoro fuisse credimus. Hinc (c) Nec *Corpus perfectè mixtum*, id enim debet loco causæ efficientis veram formam informantem habere, quàm Dæmonem perperam aliquis efficeret. *Assertivè verò statuimus qvod Corpus à Diabolo adsumtum possit esse, vel defuncti alicujus Cadaver* (quanquam hic non omnis absit difficultas. Nam Diabolus sæpe in tali apparet Corpore quod non putredinem modò; sed ipsam etiam cinefactionem non rarò admisit & in suà minima est resolutum. Jam verò impossibile planè est Dæmoni reproducere idem numero vel etiam specie Corpus idq; movere, ut jam nihil de eâ moveam difficultate, quomodò dæmon recens defuncta Corpora è sepulcris admodum onustis & terrâ lapidibusq; obfirmatis, absq; illorum aperitione, possit extrahere eaq; movere) *vel Forma Cadaver alicujus defuncti vel viventis qvodq; referens eamq; juxta probabilissimam opinionem compactam ex aere, non spectato ratione essentiæ, sed existentiæ & in statu impuro prout exhalationes & vapores nubium vel aqvæ eidem conjuncti sunt*, aliàs enim, si nimis crassum, ex crassâ materiâ conflatum esset Corpus, non posset facilè ex hominum sensibus subduci. Neq; verò dum istiusmodi Corpus Diabolus fabricat, id vel generando vel creando producit, solum enim aërem dispersum congregat, ejusq; partes unit & cum vaporibus aqveis conjungit, *rectè animadvertente Vasqvez Part. 1. Disp. 148.* Hinc etiam fabricata illa Corpora propriè non sunt organica ut rectè nobiscum censet *Gisbertus Voëtius*, quæ prolixiùs non licet explicare. Tertia verò quæstio facilimè resolvitur. Distinguas modo *inter actum Unionis, sive rectius Unitionem & Statum Unionis sive Unionem formaliter ita dictam.* Si quæris de priori, consistit assumtio corporis in potentiâ uniendi unius, cum altero. Si de posteriori absolvitur in actuali Unione, eaq; non essentiali naturali & internâ, sed extra essentiali præter naturali & παραστατικῇ, e. scilicet quam habet forma adsistens ad aliquam rem, vel Motor ad rem mobilem. Cur singula hæc paucis exposuerimus docebit progressus.

3. Obs. nos in hâc quæstione, paulò aliter ut in illâ. Num Dæmones cum Sagis congrediantur? Sagas accipere, *scilicet in oppositione ad magos & consequenter in sensu exclusivô.* Neq; enim unquam Diabolum Viro succubum cum Viro ut cum eo fœmina, generasse & fœtum peperisse, aliquem statuisse, recordari possumus. Itaq; nec quæstio h c esse potest de Dæmone Succubo, semen suffurante, sed incubô semen surreptum, succubæ Sagæ, quam exercere Viri nunquam possunt communicante. De hoc quærimus num verè cum Sagâ, non vero cum Mago quodam generet.

4. Jam quod attinet Vocem generationis. Sumitur illa vel *propriè vel impropriè. Impropriè vel latissimè, p. pro omni productione ex nihilo vel etiam pro productione ex materiâ inhabili*, quo sensu Creatio & mediata & immediata Generatio dici possunt: part. *pro productione Artefactorum*, quæ hoc sensu & genita dici possunt. p. *pro generatione æqvivoca*, p *pro generatione accidentium*, ita meteora communiter generata esse dicuntur quæ sunt effluviorum Affectiones & accidentia. *Vel latè pro productione rei ex Subjecto aliqvo qvàm acceptionem explicat Rod de Arr. c. I p 364.* & sic opponitur quidem Creationi potissimum primæ, non tamen secundæ & Artefactis. *Propriè accipitur vel pro generatione ut sic*, præscindente à qualibet aliâ sive naturalis fuerit sive supernaturalis, & tunc describitur *qvod sit communicatio essentiæ*, præscindendo à communicationis modo, an scilicet fiat per veram quandam atq; realem actionem an non. An fiat comunicatio vel καθ᾽ ἀλλοτρίωσιν vel κατὰ μετέκβασιν, vel secundum istius numero essentiæ identificationem. *Vel pro generatione determinatâ eaq; finitâ*, quæ vel est Corporum viventium vel non viventium. Hic loci accipimus generationem finitam eamq; ad Viventia Corpora restrictam.

5. Paucis jam præsupponimus (missis tantisper speciosissimis Scholasticorum tricis quæ s præsentem doctrinam conspurcare non verentur) in Scholis nostris receptam & satis sufficientem Generationis definitionem. *Est ea Actio Corporis N. misti qvâ sibi simile producit ex vel mediante semine ut perpetua specierum conservatiò constet.*

6. Hujus Definitionis ad meliorem notitiam examinabimus Causas. 1.) *Efficientem* Ad quam non trahemus *Universalem primam*
Deum

Deum, qui generationem naturæ & concessit & hucusq; conservavit suumq; coinfluxum ei præstat: *Nec universales secundas*, Cœlum stellas & Astra (siquidem non putamus, etiamsi Diabolus posset generare, Deum cum ipso coinfluere vel ad coinfluxum Astra dirigere) *Sed Efficienti stabimus proximæ, quæ in Definit. est Corpus Naturale, puta constans ex materia & forma naturaliter sive essentialiter unitis & Ens aliquod per se constituentibus.* Hoc corpus naturale debet esse *mistum, mistione videlicet quæ est miscibilium in minima divisorum unio à formâ specificâ facta.* Ubi notabis non quamlibet compactionem unius vel alterius Elementi facere veram mistionem, neq; etiam genuinam mistionem è solis Elementis fieri posse quod plerique Scholasticorum opinantur. Corpus humanum non immediatè ex quatuor Elementis sed ex semine producitur, Semen autem è Sanguine, Sanguis è Chylo, Chylus è Cibo & potu, Cibus & potus è Plantis & Animalibus. In quibus certe non nuda Elementa dantur sed principia etiam chymica censemus rectè *cum B. nostro Sperlingio Instit. L. 6. C. 1. q. 4. p. 893. Hæc quà Efficientem.* 2.) *Materiam & quidem hìc tantùm ex Quâ*, quæ vel *Remota, nim*, Cibus & potus in chylum mutatus, vel *Propinqua*, Sanguis è chylo primùm ab hepate formatus. *Proxima* Sanguis à sero purgatus & dealbatus atq; in vasis seminalibus retentus, qui communi nomine dicitur semen, idq; non infœcundum aut expers formæ (accipio enim in ipsâ generatione) sed fœcundum atq; prolificum.

3. *Formam, quæ est Actio Corporis naturalis &*, si formaliter spectatur, *instantanea non successiva, physica non moralis proveniens, si generationem profectam ab influxu sociali spectas & manentem in eâdem specie, ab agente duplici destituto quidem unitate numericâ, nunquam specificâ, nunquam causativâ. &c.* 4.) *Finem.* Et quidem *inter medius* hìc loci est felix Specierum conservatio, utut enim continuo subjecta specierum intereant atq; corrumpantur, Species tamen hùc usq; nulla, vi generationis, ubi Corpora dese ad interitum vergunt, interitum est passa. *Ultimus est gloria Dei.* Quando enim generatio exercetur divinum mandatum atq; præceptum expletur, hoc expleto Nomen etiam divinum celebratur atq; glorificatur.

§ 7. *Cum materia generationis Proxima, intellige semen, verum potissimum, si est prolificum & fœcundum*, (reliquas hìc causas

non

non sequestro) *generationem efficiat & deindè loco Argumenti nobis esse possit paucis & hujus supponemus causas* (1) *Efficiens eaq; Remotissima st Deus, Cœlum & Astm Remota* totū Corpus generans *Proxima, Forma* (loquor de generatione viventium) *potentia vegetativâ instructa, eaq; in & cum suis facultatibus primariis Altrice, Auctrice & procreatrice, queis inserviunt secundariæ, Attractrix potissimum, Retentrix & concoctrix, ad quas indivisibili nexu calor tùm naturalis tùm influens requiritur.* (2) *Materia* hic potissimum venit consideranda *in quâ & ex quâ*. Materia in quâ sive sub eatum l. ut quod totum generans est; vel ut quodque varium, *Remotum* est Arteria vocata communiter præparans per quam demittitur materia seminis ad Testium Parenchyma in quod prorsus terminatur & sunt testiculi viriles nihil aliud quàm convolutio vel conglomoratio vasorum spermaticorum in hisq; plexibus Testium separatur serum a sanguine Propinquum sunt *Epidydimides*, quæ sunt Vas seminale continuatum incumbens extremitati testiculorum, ex his decurrit in Vas Pyramidale, ex alterâ Parte in Parastatas, vel Corpus varicosum, usq; dum excurrat in Vas deferens. *Proximum sunt vesiculæ seminales*, vel juxta quosdam corpus glandulosum, in quod à vase deferente semen defertur, & alias vocant Prostatas, quæ cum vehiculis seminalibus hiant in Urethræ foramen, quod Valvulâ munitum, ne semen involuntariè effluat. In his partialibus Subjectis melius atq; melius semper materia seminis elaboratur, ac elaboratum demū in aliquo reservatur. *Materia ex Quâ*, non est excrementum quia non annumetur animo, ut censent plurimi Scholasticorum *cum Roder de Arriaga sit. l p. 272. Sed Proxima*, Remotissimam enim & Remotam, Alimenta, adsumtionem chylificationem &c mitto, *est Sanguis* isq; non totus nec impurus, sed nobilissima istius pars & tanta quanta ad semen natura destinat, purificata & diluta in certis vasis à sero & aliis ad semen non facientibus. Conf. Pauli Ammanni Paræn. C. 4. de Animæ Fac. n. 4. p. 7. (3) *Forma Seminis* (loquor de eo prout generationi substernitur) *est vel interna & informans*, ipsa videlicet Anima καθ' ἀπόστασιν semini ab animâ generantis communicata, illucq; per nervos spiritus vitales & Animales, ad id fœcundandum, derivantur; *vel Externa* quâ est Corpus calidum humidum, spirituosum, album, extra sua vasa spiritus vitales statim amittens cum sint maximè volatiles. (4) Finis proprius est *partim generationis f. hic absolutio, partim similis per id productio p. Nominis divini celebratio* De definitione & applicatione ad præsens negotium quilibet ipse viderit.

8. Jam dist. *inter generationem inchoatam seu imperfectam camq; con-*

gressui

gressui, qvem concedimus, contradistinctam; & consummat amseu perfectam. Illa est actio, quâ formâ mediante aliquali suæ speciei materiâ producitur. Hæc est actio quâ totum compositum cum omnibus suis partibus producitur. Sive dist. int. generationis Terminum proximum, qui forma est, & ultimum, qui compositum totum. Quær. de utroq;, in eo enim conveniunt, quod antequam aliquid produci possit, utriusq; Agentis Semen prolificum conjungi legitimè debeat.

9. Hæc quâ terminos simplices. Jam ad totam quæsiti Connexionem dist *inter generationem intercedentem inter Dæmonem & Sagas imaginariam ac fictam; & inter verum atq; realem.* Illam respectu Sagarum opinionis concedimus; Non hanc. Nimirum longo experientiæ usu nondũ Saga quædam est inventa cui impregnatio contigisset, absq; humano congressu solo Dæmonis obscæno tremendoq; complexu interveniente. Quod hic Bodinus in Mag. Dæmon. L. 2. C. 7. de interrogatione Sagarum a Dæmone factâ respectu impregnationis urget, nolo allegare.

10. Hinc ulterius dist. inter *τὸ Implere Corpus Sagarum multis atq; variis tum oribus & inter τὸ imprægnari verè Corpus ipsarũ profectum à Dæmone.* Quà illud (quod etiam ex parte non raro Virginibus usu venit) potest Dæmon efficere ut credant Sagæ sese imprægnatas esse. Ubi verò tempus partu edendo appropinquat, aut Obstretricis munia obit, aut infantes aliis surripit, aut laborantibus subjicit, aut etiam Diabolus seipsum sub formâ infantum supponit. Quid enim Cambiones aliud sunt, quam lusus Diabolici sive ipse Diabolus in adsumto istiusmodi Corpore, alias aliis infantibus non essent graviores, non magis macilenti, qui ne tribus quidem aut quatuor Nutricum rumis exsuctis implentur, sed tandem evanescunt. Ne verò aliquis dubitet, num possit Diabolus sub formâ infantis se sistere, *allegabo ex Delr. Disqvis. L. 2. q 5. Historiam de puero qvem per Galliciam & Austrias Hispaniæ ante annos non adeò multos Mendicus qvidã summa cum defatigatione humeris bajulabat: Cum qvidam è Delrionis Comitibus eum in itinere repertum prope flumen ut transvaderet, misericordiâ motus, retrò se in jumentum suscepisset, vix valida bestia eum potuit in alteram ripam exponere. Paulò post mendicus deprehensus fassus est, eum Puerum non Puerum se Diabolum fuisse, qvi sibi promisisset, omnes se ad eleemosynas ei conferendas pellecturum, qvamdiu sic circumferretur habitu morbosi pueri & fasciis involuti. Hoc verò scilicet verè impregnari non potest.*

11. Hinc etiam est, quod, etiamsi partus nonnulli fictitii à Sagis provenerint, *pleriq; tamen eorum nunqvam formam genuinam hominis sed Buffoni-*

fonibus, vermibus atq; erucis similem retulerint, quod ex propriâ Confessione refert Carpzov. l. c. Qv. 50. in Sent. ipf. 21, 23, 24, 26, 29, 35 Ubi omnes iisdem fermè circumstantiis fassæ wann sie mit ihren Buhlen zuschaffen gehabt/ hätten sie weisse Elben bekommen so gelebet/ spitzige Schnabel und schwartze Köpffe gehabt &c. Quis verò hos effectus veros ab homine simul provenientes & non potius diabolicos dixerit, idem *judicandū de infantibus Supposititiis, qvos appellant* Kielkröpffe. De cæterò si suffurantur obstetricibus, veros quidem eos effectus esse putamus, sed tunc nec Dæmonis nec Sagæ effectus sunt, verum mulieris hujus q; Viri, cui subducuntur.

12. Reliqua cum ob Chartæ penuriam superaddere nequeamus, sed conflictui reservemus publico, paucis saltem adhuc præsupponimus (a) *Nullam generationem, de qvâ loqvimur, veram, posse fieri absq; verô semine atq; prolifico* (b) *Corpus à Dæmone adsumtū non esse verum Corpus mixtū, & conseqventer nec ex se verum semen habere, nec aliundè sublatum fœcundum ob caloris absentiam retineri posse* (c) *Semen extra Vasa sua emissum & non statim in locum genuinum muliebrē immissum statim Spiritus Animales, calorem & conseqventer ipsam formam amittere.* (d) *Dæmonē se cum Corpore unire non ut forma informans sed adsistens.* (e) *Dæmonem phantasiam Sagarū vel maximè corrumpere posse.* (f) *Ut ea qvæ in totâ Exegesi attulimus reticeam; Non omnem Sagarum confessionem pro certâ esse habendam, nec effectum qvemcunq; esse veram Dæmonis Sagarumq; progeniem.*

SECTIO III, proponens ΘΕΣΙΝ:

Θ. I.

Dæmon cum Sagis non potest generare.

Κατασκ.

1. E*X Defectu veri Corporis Naturalis. Dæmon non habet Corpus verum, naturale, vivum, mistum. E. cum Sagis non potest generare. Maj. prob. Generatio est Actio Corporis N. misti. O. Actio Corporis N. præsupponit vitam. Vita non competit Dæmoni. E. nec Generatio competit Dæmoni.* Min. p. supra fuit ostensa, p. ulterius demonstratur *Q. non habet veras Corporis N. affectiones, veras operationes vitales miscibiliumq; cunctorum formalem Copulationem, illud non habet verum Corpus naturale &c.* Atqvi Dæmon E. Min. ex hucusque dictis per se patet. Maj. legitimè concludit ab Actu secundo ad primum. (2) *Ex Absentiâ Materiæ Generationis, veri sc. Seminis. Ubicunq; datur verum semen* (reliquis ponendis positis) *ibi etiam datur vera generatio. In Dæmone non datur verum semen* E. Maj. patet ex

prælupp. 11. Not. 12. Min. (1) *Ibi datur verum semen ubi datur vera nutritio. In Dæmone non datur vera Nutritio.* E. Maj. licet satis clara probari tn. ex ipso Aristotele potest, *quia omne generativum supponit vegetativum hujusq; potissimam in hoc passu facultatem, Nutritionem L. 2. de An. C 4. T. 26.* Excipis Dæmon in Corpore *verè comedit & bibit. E. etiam nutritur.* R. concedendo prius, secus ac facit *Thomas P. 1. Qv 51 Art 3. & cum eo Gisbertus Voëtius*, qui ad comestionem veram tria requirit, *Masticationē, cibi in stomachum injectionem, & concoctionem s. digestionem.* Cùm itaq; ultimum potiss requisitum absit, negat Comestionem veram; negamus posterius. Nulla hîc est Consequentia, quia Conversio Cibi in substantiam Comedentis & inde orta nutritio non pertinet ad formalem rationem Comestionis. Ægroti procul dubio verè comedunt, licet vel maximè Cibum ne per quadrantem horulæ apud se retineant. Κακοςμαχοι & ατροϕία laborantes strenuè edunt, non tamen Cibum, utpote non digestū satis in substantiam suā convertunt. Hinc Form. Ratio comestionis consistit *in trajectione cibi in Corpus, non vero in concoctione & digestione.* Ex quo patet non omne statim, quod comedit, nutriri. (2) *Ibi demum verum & prolificum est semen, ubi ex utraq; parte Agens est liberum consensumq; habet liberum* (oppositum non determinatè necessario sed potissimum coacto) & potentia vegetandi est instructum. Neutrum verò obtinet in fictâ generatione Dæmonis cum Sagis. E. Non posterius quod per se patet. Nec prius p. quia id constat ex nullitate generationis in hum si altera pars non consentit; partim ex experientia, testantur enim Sagæ sic Dæmonibus suis comparata esse quæ putantur virilia, ut sine sensu maximo doloris præ vastitate rigoreque nimio admitti non possint Conf. Remig. Dæmon. L. 1. C. 6. p. 27 tantùm E. abest consentiat Congressu Diabol. Saga, ut potiùs vel maximè repugnet. (3.) *Ibi verum Semen est ubi sunt vera & naturalia vasa seminalia verumq; Membrum genitale.* In Dæmone neutrum est. E. Maj. constat, quia semen etiamsi de cætero prolificum sit, extra naturalia sua loca constitutum statim Spiritus vitales deperdit. Min. prob. quà posterius. Quia non habet verum Corpus N. E. nec vera & naturalia Vasa seminalia. Quà posterius ex Confessione Sagarum propriâ, quam vide sis apud Autores cit. 4) *Ibi verum semen est, ubi datur verum Corpus Organicū. In Dæmone non* E. Dicis hîc esse neg. Minorem, quia Dæmon possit congredi. E. R (a) præsupponenda varia Corporis Organici acceptio. Potest n. signi care (a) tale corpus quod exclusâ verâ aliquâ misc bilium commixtione a formâ intrinsecâ proveniente, compactum est ex unâ potissimum

mum

mum materiâ ſimplici licet impurâ, referens quidem imaginem verarum partium organicarum, quæ tamen genuinâ diſpoſitione & actibus vitalibus deſtituntur. (b) Corpus cum variis Accidentibus & diſpoſit. in diverſis materiæ partibus, quo ſenſu competit rebus propriè non viventibus v.g. lapidi. (c) Diſpoſitiones proximas & immediatas ad vitam ratione Actus 1. informationem verò materiæ legitimè diſpoſitæ & perfectè mixtæ provenientem ab Anima, ratione Actus 2. Conf. Roder. de Arriag. C Ph. Diſp. 1. de An. Sect. 1. n. 9. p. 424. Ultima acceptio eſt h. l. (2. Jam dicimus neg Conſequentiam. Quia ad eum ſufficit Corpus org. primò ſenſu acceptum, quod eſt impropriè tale; Nec aliqualis ſimilitudo poteſt ſolvere negotium. Vid. Con. Li Ariſt. de G. q 1. Art. 7 p. 72. (5.) ut reliqua reticeam, *ibi verum ſemen eſt; ubi ob Individuorum decadentiam, ſui ſimilis ad ſpeciei conſervationem, obtinet productio. In Dæmone non* E. Min. facilimè conſtat, qu a Spiriritus fin. à parte poſt ſunt æterni Maj. prob. quia illi tantùm Naturæ quæ naturaliter aliquando ad interitum vergit, Sapientia divina tale medium conſtituit, quo poſſit ſe, ſi non ab individuorum, tamen à Specierum corruptione liberare. Dicis, his probatur ſaltem quod Dæmon non habeat verum ſemen per Naturam, qnod concedo, poterit tamen illud habere furto ſublatum aliis. R. prius concedimus, quid verò de poſteriori ſit habendum mox in Θ. 2. videbimus. 3. Ab Abſurdo. Si Dæmon cum Sagis verè generat, *(a)* Verus erit Pater, Conjux atq; Maritus (b) Deus eidem coinfluxum præſtabit. (c) Corpus non-org. organicas edet operat. &c. Sed poſterius eſt falſum E.

Θ. II.

Dæmon etiam cum Sagis non poteſt generare per Semen aliundè ſurreptũ. Contra Ghirlandum Bod. Conimbr. &c.

Κατα Θ.

SI per Semen aliundè ſublatum Dæmon cum Sagis generat tunc Semen iſtud debet *eſſe (a) Prolificum, Spiritus vitales continens.* (2) *Calidum.* (3) *ut reliqva non tangamus, Animatum. Sed falſum eſt poſterius E & prius.* Conſequentiam Majoris ex ſupra dictis in confeſſis eſſe puto. Minoris 1. Membrum utpote ſatis clarum illuſtro (a) quia Semen ſurreptum eſt extra ſua naturalia vaſa, undè vis prolifica & πλαστική ob ſpirituoſitatem & volabil. facilè expirat. (b) *Verbis Carpzov c. l Qv. 49. n. 35. p 323.* Ubi inquit *Ex Satanico congreſſu ne qvidem ex alterius ſemine, qvo Dæmon fortè abutitur Prolem naſci poſſe; facilè conceſſerim. Neq; enim*

 ſemen

semen à Diabolo aliundè acceptum extra naturalia sua receptacula vim vitalem retinere potest. Nec item semen prolificum à Dæmone tantâ celeritate perfertur, ne id in via Spiritum vitalem & calorem, sine qvo tamen nulla procreandi facultas, amittat, unde licet vel maximè eo momento qvo Mulier ad concipiendum maximè est disposita, illud muliebri semini commisceat, nulla tamen gignendi causa esse potest, qvi plura desiderat adgrediatur Remig. Dæmon. l.c per Caput integrum. 2. M.prob. *ex Constanti omnium Sagarum confessione* qvam cum tædio nolo citare *Conf. post Remig. jam modo cit. Wierum in præst. Dæmon, L. 3 p.311. E qvibus nugæ Thomæ in 2. dist. 8 qv. 1. Art. 4. dum recurrit ad temperiem à Dæmone suscitatam, per qvam virtus generandi latens in semine viri possit conservari & sic eo interveniente fœtum cum Saga producere, facilè corruunt consule Conimbr. In Lib. 1. Arist. de Gener. & corr. C. 4. qv. 10. Art. 3. p. 100.* Ut enim jam (a) de eo, an semini viri seorsim spectato completa ad generandum potentia insit, nihil dicam. Certè (b) si hoc fieri posset, qvàm fœcunda monstrorum Mater tâm longo tempore extitisset humanum genus, semine ex feris & bestiis, permutato, translatoq; ab incubo Dæmone & Mulieris sinui infuso; disserente eruditè wiero l. c. Exciperet fortè qvis (1) *semen etiamsi sit constitutum aliqvantisper extra loca sua naturalia & non sit calidum, tamen ex eô posse aliqvid generari censente Alberto Scholiastâ L. de Form. Hom. C. I. qvi expressè dicat:* Si semen emissum ad terram poneretur ad matricem, possibile esse qvod conciperet, & sæpius contingere, qvod in Balneo, ubi vir sperma emittit, muliere præsente, ipsa tanqvam in coitu concipiat. Sed ô vanæ mentis vanissima somnia, nugamenta, deliria, non opus est vel qvicqvam ad hæc loco responsi velle adferre, cum absurditate suâ seipsa statim jugulent. (2) *Dæmonem posse etiam certa receptacula habere prioribus è qvibus est excisum correspondentia exactè, & sic in iis semen fœcundum conservare.* R (a) Hoc qvidem facilius dicitur qvam adstruitur. Dæmon enim cum non habeat verum corpus mixtum, nec vera corporis mixti vasa habebit. (b) qvomodo E. in eis semen fœcundum conservabit? Reliqva mitto. *Excipis, ad minimum tamen impedire poterit, qvô minus Spiritus vitales & calor exhalent, per calorem alium scil. solarem influentem.* R & hoc negamus, qvamvis enim calor influens possit impedire, qvô minus exhalet calor è semine dum est in suis genuinis vasis & Corpore N. (positis aliis adhuc necessariis reqvisitis) non tamen id præstare potest in semine extra vasa constitutô. (3) *Dæmonem posse ad minimum suscitare semen Sagæ semine*

immis-

immisso & sic prolificum reddere vel saltem prolificum fieri, cum dictô commixtum posse. Rx imo potius invertere & dicerem, Semen istius modi immissum non suscitare semen mulieris prolificum, sed potiùs illud destruere ;.
M. prob. (1) *Q. Nec ante congressum nec in congressu viri incubi cum Dæmone succubo est Animatum, illud nec post congressum in Dæmone erit animatum. Atqvi semen viri communicatum Dæmoni:* Major est extra controversiam, Min. prob. (a) qvia Deus non determinatè Viri semini sed viri & mulieris simul benedictionem multiplicativam secundum speciem addidit. (b) qvia Semen ante & in generatione, nisi conjungatur cum alio semine est & manet pars hominis, vel cum eo conjuncta vel disjuncta. Si conjuncta, est animatum per Animam totius, si disj: aiam totius deperdit novam autem non accipit, qvia est & manet qvid incompletum. (2) *Ex prioribus M. qvia nec prolificum est nec spiritus vitales habet, qvi sunt* Animæ vehiculum. Reliqva Argumenta jam linqvo.

⊙. III.

Partus s. rectius Effectus monstrosi qvos vocant, Elben/ Böse Dinger *& Cambiones, non à generatione intercedente inter Dæmonem & Sagas proveniunt; sed à Dæmone tantùm efformantur & ab ipso moventur. Contrà jam modò citatos.*

Καταϑ.

I. Membr. prob. (a) *indirectè; qvia hic omnis exulat generatio Ergo & Ejus Effectus, qvia sublata causa destruitur effectus in fieri* (b) *directè, qvia istiusmodi effectus nec referunt formam hominis nec Dæmonis, nec utriusq́ simul, etiamsi etiam qvandam urgeas mixturam.* Non illius, quod per se patet; Nec istius (nisi admittas infantes supposititios aliis sublatos) quoniam nec ejus formam habent, nec materiam, nec effectus naturales. Nec hujus, qu ia hæ duæ naturæ planè sunt incompatibiles: Urges: *Cambiones omninò referre non rarò formam Matris vel infantis alius.* Ergò R. (a) sit ita, sed anne tunc statim à Matre sunt geniti Dæmon potest producere & adsumere corpus alterius corpori simile: Ergonè per generationem (b) qui intelliguntur per Cambiones infantes supposititii aliundè surrepti, aut noviter efformati. Illos quidem formam Matris, cui supponuntur, referre posse concedo, sed quid hoc facit ad rem. Ergone proveniunt à generatione Dæmonis & Sagæ. Hos verò genitos esse formamq; Matris utramq; int. & ext. referre, nego (c) & quamvis non rarò etiam posteriori sensu accepti formam saltem externam referant, non tamen exindè illius statim sunt effectus per partum editi, tùm quia Dæmon ex eâ materiâ ex qua ipse constat ipsos potest producere, tùm quia eam, quam vult eidem formam non nequit imprimere, quo eo meliùs Sagæ in opinione fallantur.

2. M. prob. (a) *Qvia Dæmon ante partum istiusmodi fœtus monstrosos qvos* Elben *vocant, adducit, E. eos prius efformavit.* Potest itaq; nonnullos in uterum immittere,

re, qui deindè numero se multiplicare possunt. Conf. Carpz. c. l. q. 50. Sent. 21. Ubi ex Diabolico ore eructavit talē materiam è quâ Ebenvel bôse Dinger producti. (b) *Quia effectus eius modi venenati, nocivi ac diabolici sunt & ratione constitutionis & ratione resolutionis E. unicè* à Diabolo ex tali materiâ venenatâ, quæ Mulieris esse non potest, nisi fortè & particulā quandam ad eam adsumat, producuntur. Ratione prioris, quia inferuntur carni & Brachiis hominum, ut iis attrahatur nocumentum. Ratione hujus, quia Resoluti & terræ de mandati transgredientes læsere. (c) Quia effectus istius modi pleriq; moventur, non verò semper per formā informantem E. per adsistentem, quæ est Diabolus. Et de Cambionibus quidē proprè dictis nullum est dubium, de effectibō verò bufonibus & serpentibus similibus videtur majoribus. Sed esto, habeant & hi quandam formam, extrinsecus tamen moventē Dæmonē, ob Dæmoniacos effectus non excludunt. Conf. eund. Carpz. Remig. & alios.

Θ. IV.

Imo Dæmon ne qvidem istorum Effectuum, ut per gegenerationem producti esse debent, causa Moralis est. Contra Con. & alios.

Κατα Θ.

1. QVia nulla planè datur generatio terminativè spectata inter Dæmonem & Sagas, nullus ex eâ verus proveniens effectus. Quomodò E. utriusq; erit causa moralis, cum nulla fermè causa sit. Negato genere negatur species. 2. Quia hunc effectum à Diabolo genitum esse (vera generat.) judicio prudentum eidem non tribuitur. (3) Quia, etiamsi non rarò istiusmodi effectus monstrosis, existat Suasor ac hortator, non tamen effectus ille est in potentia causæ physicæ. E. Excipis (a) Dæmon tamen applicat agens ad patiens sciendo scilicet opportunum concipiendi tempus, ubi celeritate quadam advolat & sublatum semen applicat. R. (a) Quamvis Dæmon videatur applicare agens ad patiens, nullus tamen sequitur effectus. (b) qvamvis Dæmon sciat concipiendi opportunum tempus, non tamen semen ita prolificum retinere potest, ut mixtum cum alio semine generationem efficiat. Scit Diabolus qvomodo morbi curari possint, non tamen eos curare ilico potest &c. Excip. (b) licet ex surreptô semine genitos dici filios vel filias eorum unde semen decisum Dæmon surripuit. Diabolus verò, non ipsi, hoc semen applicat Ergo R. hoc petit principium, negamus enim vel qvicqvam ex istiusmodi semine generari posse. Urges (c) Dæmonem vi qvadam posse calorem & Spiritus vitales in semine conservare, ita ut postmodum exindè seqvatur effectō. R. (a) Semen extra sua genuina loca statim eos amittere & Corpus Diaboli adsumtum frigidissimum esse evicimus. (b) si itaq; Dæmon Spiritus istos per vim qvan... restaurat, producit novam seminis formam; em & sic non moralis sed physica causa erit, qvod absurdum. Sed ulterius non licet.

Agimus Itaq;

Soli Deo Gloriam!

※(o)※

